



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Historiae Ecclesiasticae Pars ...**

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Quòd interea synodus Tyri haberi constituit ob controuersias quasdam in  
Aegypto natas. Cap. XLI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

EVSEBII DE VITA

pergemos ad illud tempus , quod ipsius vitæ extremum fuit .

*Quod tribus decenniis tres filios regio nomine cum deco-  
rauerat dedicationem Μαρτυρίου .i. sacrae  
Martyrum ædis Hierosolymis cele-  
brauit. C A P. X L.*

**I**gitur cum triginta ipse annos in imperio compleuerat filii eius numero tres , cæsares diuersis creabantur temporibus. Primus qui patris erat cognominis decimo paterni imperij anno honorem hunc adeptus est. Secundus cui nomine appellatus Constantius , vicesimo ferè imperij paterni anno , quando publicus solemnisq; omnium hominum conuentus agebatur , renunciatus est . Tertius Constans fuit : qui ipso nomine & appellatione præsens constansque tempus perspicuè præ se ferens : tricesimo paterni regni anno ad honorem euectus est . Ita cum triplicem assimilatione ad trinitatem liberorum fœtum Deo gratum acceptumq; procreasset : eundemq; decimo quoquis anno regia dignitate decorasset : extremum tricesimum annum accommodatisimum tempus sibi oblatū esse putauit : in quo omnium regum regi grates persolueret : quo tempore etiam optimum existimauit Martyrum domum incredibili & optimo studio ab se Hierosolymis cōadificatam consecrare .

*Quod interea synodus Tyri haberi constituit ob  
controversias quasdam in Aegypto  
natas. C A P. X L I.*

**S**ED virtutis hostis inuidia etiam hac in re quasi tenebricosam nebulam clarissimis solis luminibus offundens : per controversias quasdam turbatis denuo Aegyptiis ecclesiis , institutæ huius celebritatis splendorem obscurare conata est . Sed imperator omni cogitatione & cura in Deum defixa : collegit ex omni Aegypto , Africa , Asia , Europa , frequentem Episcoporum cœtum : eumq; tāquam Dei exercitum armis conteūtum obiecit huic inuido diabolo : mandauitq; , primum vt quām celeriter renouatæ contentionis finem facerent ; deinde vt Martyrum domum , de qua dixi , consecrarent : Obiterque vt in Phæniciae Metro-

poli

poli conceptas rixas delerent. Non enim licere sententiis & opinionibus dissentientes ad diuinum cultum adesse: quod in diuina lege disertis verbis aeditum sit, non debere secum discordantes munera prius sua offerre, quam amicitia reconciliata, ad mutuam pacem gratiamq; redierint. His salutaribus præceptis imperatoris animus intus cū recrearetur, omni vt consentione cōcordiaq; institutum per sequerentur: literis suis in hanc ferè sententiam significavit. Victor Constantinus maximus Augustus ad sanctam synodus congregatam Tyri.

*Constantini ad Tyri synodum oratio.*

CAP. XLII.

Rat fortasse consentaneum, & ad præsentis temporis oportunitatem maxime accommodatum, carere omni contentione ecclesiam catholicam: & Christi seruos ab omnibus rixis solutos ac liberos esse. Sed quoniam nō nulli sceleratae cuiusdam contentionis furore incitati, ac nō quid grauius dicā, vitam sua professione indignam agentes, omnia turbare ac miscere conati sunt (quod sc̄elus su- pra omnem calamitatem mihi sane positum esse videtur) propterea vos vestra (vt est in proverbio) sponte currentes: hortor, vt nulla interposita mora, sed omni qua possitis celeritate, in unum locum confluentes synodum institutas: & egentibus opem feratis: in periculo positis fratribus medicinam adhibeatis: diuulsa membra ad consensionem reuocetis: errata omnia interea emendetis, dum ipsum tempus ferat, vt hisce tantis prouinciis, quæ maximè decet concordiam, restituatis: quam (ō fuitiles ineptias) paucorum hominum deleuit arrogantia. Nam hoc & Deo totius humani vniuersitatis domino gratum, & nobis quavis re vel opportissima magis iucundum, & vobis ipsis si concordiam & pacem reuocaueritis, magnæ gloriæ vel omnium mortaliū iudicio consensuq; futurum, planè arbitror. Nolitote igitur cunctari, sed acerrimo studio his, quibus decet terminis præsentes controuersias definite: vt pote qui cum omni primitate & fide coiistis, quam in omni cœtu propè clarissima voce seruator noster, cui seruimus, imprimis flagitat. Nihil vero quod est nostrarū partium nostrarēq; prudentiæ deerit,

Pp 3

Nam